UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Iosephi Vicecomitis Ambrosiani Collegii Doctoris Observationes Ecclesiasticæ In quo [!] de Antiquis Baptismi Ritibus, ac Cæremonijs agitur

Visconti, Giuseppe

Parisii, 1618

Cap. 3. De variis Baptismi nominibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64585

Visual Library

De varijs Baptiſmi nominibus.

Cap. III.

EXPLICANDA ſunt enim varia baptiſmi nomina, quorũ cognitio ad ipſius ſacramẽti vtilitatem, & ritus intelligẽdos plurimum proderit. in primis igitur *baptiſm⁹* appellatur, quo nomine à Græcis accepto etſi profani ſcriptores quodlibet ablutionis genus ſignificant illud tamen, qui res diuinas tradunt, cõmuni loquendi conſuetudine ad eam tãtummodò ablutionem accommodarunt, quæ ab Epiſcopò, vel Presbiteris, aut alio quocunque ſub certa verborum forma miniſtrauit ſi S. Paulum excipias 1. Cor. 15. vbi cum diceret: *quid facient, qui baptiZantnr pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt*? baptizandi verbum pro *affligi* poſuit, vt Ioannes Gagnæius & alij Patres explicuęrunt Multa preterea nomina, quę plena ſunt myſterijs; ad hanc ablutionem ſignificandam tradita ſunt. Nam & *illuminationem*, ſeu *illuſtrationem*, ac *lumen* S. Paulus ad Hebr. 6. & 10. Dionyſius Areopagita de Eccleſ. Hierarch. cap. 2. Iuſtinus Martyr orat. ad Anton. Pi. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. cap. 6. Synodus Laodicena can. 45. Gregorius Nazianzenus orat. 9. 39. & 40. Cyrillus Hieroſolymitanus in procathec. Ioannes Chryſoſto mus in Epiſt. S. Pauli ad He-

Baptiſmus ab Eccleſiæ ſcriptoribus proquo accipiatur.

Baptizari.i. affligi Illuminatio, illuſtratio, ac lumen.

br. 6. & 10. & catech. ad illuminan. Timothæus Alexandrinus ex reſpon. canon. interrog. 1. & Elias Cretenſis in S. Gregor. Nazianz. orat. 9. 39. & 40. appellant, quia baptizatorum mentes Chriſti fide illuminantur. *circumciſionem* vero S. Palus nominat ad Coloſſ. 1. & ad Rom. 6. & S. Ioan. Chryſoſtomus catech. ad illuminan. & in Epiſt. S. Paul. ad Coloſs. cap. 1. quoniam in eius locum ſuffectus eſt. Dicitur amplius *Verbi communio*; quod nomen à S. Gregorio Naziãzeno, & Niceta Serronio iure vſurpatum eſt orat 40. in S. Bapt. Nam, vt fide Chriſtiana edocti ſumus, hoc ſacramentum Chriſto, ęterno Verbo, nos copulat, atque eius mortis, & paſſionis participes efficit, noſque inter nos in eodem Chriſto conciliat, ac coniungit, & veluti vnum corpus coagmentat. Ex quo factum eſt, vt *indumentum* quoque a SS. [a] Baſilio, & [b] Gregorio vocaretur, vt intelligeremus, baptizatos Chriſtum induere atque in eundem veluti palmites inſeri. *Sed ſignum Chriſti* etiam a S. Dionyſio Areopagita lib. de Eccleſ. Hierar. cap. 2. & *myſtica ſigna* ſiuè *teſſera* à S. Baſilio exhortat. ad bapt. appellatur quod, qui baptiſmi ſacris imbuti ſunt, interiore quadam nota animę impreſſa ab alijs hominibus diſtinguantur, ſequè mutuò agnoſcant. Quarè ex veteri Eccleſię catholicę inſtituto ſeruari videmus, vt nemo fidelium cum Gentilibus, ac Ethnicis precum vel aliarum rerum ſacrarum communione vtatur. Ac SS. quidem Gregorius Nazianzenus o-

Circunciſio.

Verbi communio.

Indumentum.

a Exhort ad baptiſ.
b Orat 40.

Signum Chriſti.

Myſtica ſigna, ſiue teſſera.

Bonum.

Obſignatio σφραγὶς, & ſigillum

Clem. Alex lib. 1. Pæd. cap. 6. Seuer. Sulp. de vita S. Mart. Greg. Naz. or. 11. & 40. & in carm. iamb. Io Chryſ. orat. ad bapt. Aug. in Enӡh. de bapt. cont. Donat. cap. 19.

rat. 19. & 40 Ambroſius ad Rom, 2. & Auguſtinus in Enchir. ad Laurent. c. 64. *doni* etiam nomine hoc ſacramentum vocarunt: tum quia nihil afferentibus, nihilque promeritis datur: ac gratis omnium ſcelerum maculas eluit, ac tollit: tùm quia præclara, & ampliſſima munera, intima Sancti Spiritus virtute donat, & impertit. Tertullianus quoque lib. de pœnit. *obſignationem*, & S. Gregorius Nazianzenus orat. 11. & 40. S. Baſilius lib. 3. cont. eunom. Elias Cretenſis in orat. 11. S. Greg. Nazian. & Nicetas Serronius in orat. 40. eiuſdem Gregor. σφραγιν appellarunt, quod verbum *ſigillum* latine reddere poſſumus, & rectè quidem *ſigillum* dictum eſt, cùm baptizati non ſolum fide, ac crucis ſigno aduerſus dæmonis impetus egregiè muniantur, verùm etiam charactere, Domini ſui, hoc eſt Chriſti ſeruatoris imperium intelligant. At alij modò *manus impoſitionem*, modò *chriſma*, modò *abſolutionem*, modò *crucem*, modò, *ſepulturam*, modò *fidei*, vel *Chriſti ſacramentum*, modò *purgationem*, modò *vitæ melioris pactum*, modò *arcanæ perfectionis obſignationem*, modò *diurnam natiuitatem*, ſiue, *originem*, & *generationem*, modò *figmenti correctionem*, modò *gratiam* nominant: quarum omnium appellationum cauſam ex ritu ſuper baptizatos manum imponendi, vnctione, quæ adhibetur, natiuæ labis, & aliorum ſcelerum litura, quam efficit, Seruatoris morte & ſepultura, quã refert, fide Chriſtiana, quam profitemur, vitæ innocentia,

profitemur, vitæ innocentia, quam conciliat, ſolenni ſponſione, quam edimus, ablutione, qua tingimur, virtute, quam obſignat, tempore, quo miniſtratur, ſiuè ſplendore, quem obtinet, hominis inſtauratione, quam affert, & diuina gratia, qua nos ornat, intelligere poſſumus. Alij rurſus, quia in baptiſmo diuina clementia, & charitas elucet, hoc ſacramentum, [a] *pietatis lauacrum*; quia ab infœlicibus gentium vepretis in fertile Eccleſiæ ſolum transferimur, [b] *plantationem*; quia Chriſto Domino conſecramur, [c] *myſteria*, ſiue [d] *initiationem*; quia à vetuſtatis ſordibus abluimur, [e] *expiationem*; quia perpetuæ fœlicitatis ſcaturiginem adimus, [f] *fontem æternum* quia diuinis præceptis obtemperandi initium facimus, [g] *ſanctiſſimorum mandatorum principium*; quia cupiditatũ ardor reſtinguitur, [h] *carnis abiectionem*; quia aqua tingimur; [i] *ſacramentum aquæ*; quia noua creatura, Deique filij efficimur, vel [k] *innouationem*, vel [l] *ſacramentum vitæ nouæ*, vel [m] *vndam genitalem*, vel [n] *natiuitatem ſecundam*; ſiuè [o] *ſalutarem*, vel [p] *regenerationis, & renouationis lauacrum*, vel [q] *generationis ſacramentum*, vel tandem [r] *vitale lauacrum* dixerunt. Cur autem S. Greg. Nazian. orat. 40. in ſanctum lauacrum: *Sacram menſam, peccati diluuium, vehiculum ad Deum mentis perfectionem, vitæ*

a Cæſar. dial. 1.
b Elias Cret. in orat. 39. & 40. eiuſdem Greg.
c Adrian. Pap. epiſt. ad Conſtant. Imp. & Iren.
d Io. Chryſ. orat. ad bapt.
e S. Hier. in cap. 6. Amos. Amb. de Sp. S. c. 11 & Iſid. lib. 2. de offic. cap. 20.
f Baſ. lib. 3. cont. Eunom.
g Io. Chryſoſt orat. ad bapt.
h Vict. Vtic. lib 2. de perſec. Vandal.
i S. Dionyſ. de eccleſ. hier. cap 2.
k Gre Naz. orat. 40.
l Tertul. lib de bapt.
m Baſ. lib. 3 cont. Eun.
n Aug. cont. Creſcon. cap. 13.
o Cypr. epiſt. 2. ad Donat.
p Ibidem. & Hier. in c. 16 Ezech
q Cypr. Epiſt. 7. ad Rogat.
r S. Paul. Tit. 3.
ſ Aug. lib. cont. Iulian.
t Cypr. epiſt. 73. ad Iubaian. 76. ad Magn. Lib. de lapſ. & lib. de vnit Eccleſ.

commutationem, ſeruitutis depulſionem, cæleſtis regni clauium, infirmitatis noſtræ adiumentum, & Apoſtolorum princeps 1. Pet. 3. *baptiſma ſalnos faciens*; S. verò Paulus ad Epheſ. 5. *lauacrum aquæ mundans in verbo vitæ*; & S. Cyprianus epiſt. 2. ad Donat. lib. de oper. & eleemoſ. *aquæ ſalutaris lauacrum*: Epiſt. 63. ad Cæcil. *baptiſma ſalutaris aquæ*, Epiſt. 73. ad Iubaian. *aquam ſalutarem*, orat. pro martyr. *lauacrum ſalutare*: & epiſt. 43. ad Cornel. *ſanctificationis baptiſmum* nuncupauerint, perſpicuum eſt: cùm, poſt huius ſacramenti adminiſtrationem, fideles olim ſacroſanctæ Euchariſtiæ menſæ accumbere, ſalutariq́ue cibo refici, ac recreari ſolerent; atque in eo diuina virtus, & gratia in nos diffundatur, quæ nos ab omni peccati ſorde abluit, ad Deum, fœliciſſimaſque cœli ſedes euehit, omnibus bonis auget, à vita corporea, & flagitioſa ad ſpiritualem, & diuinam traducit, à dœmonis tyrannide vindicat, in cœlo collocat, ac demum ſanctos, Deiq́ue filios effectos, æternæ quoquè ſalutis hæredes inſtituit. Sed, explicatis baptiſmi nominibus, de baptiſterijs agere, ſicut propoſitum eſt, aggredior.

An baptiſteria ſemper in Eccleſia fuerint: & de more in fluminibus, fontibus, vijs, ac carceribus babtizandi.

Cap. IV.

De quibus id primò conſideremus, quod principio eſt in omni quæſtione conſi-